

88
1202,10 12/
**GVIL. HIERONYMI
BRVCKNERI D.**

PANDECT. PROFESSORIS PVBLICI
CVRIÆ PROVINCIALIS
FACVLTATIS IVRIDICÆ ET SCABI-
NATVS ASSESSORIS
COLLEGII IVRIDICI h. t. DECANI,

DE

DISCRIMINIBVS,
QVIBVS MODERNI A VETERIBVS
ROMANIS IN CAVSIS AD MATRI-
MONIVM SPECTANTIBVS
DISTINGVUNTUR,
PROGRAMMA INAUGURALE.

J E N Æ,
LITERIS WERTHERIANIS.

Joh. Jak. Böner

GEATI HIERONIMI
BAGINERI D.

ANNEI PROLATORIS LATERICI

CURIA ROMAGNAE ET CAVI

HOC AESTATE VITAE AETERNAE

COTTONI HERDICI P. DEGEN

DISCRIMINAS

CHIA MODUM A MATERIA

ROMA IN CAESARIA

MOMIA ESGANTIA

DISTINGUATOR

REGIA LIBRARIA CONCILII

LIBRARIUS MATERIA



Istimus jam summo-
rum in Jure Honorum Candidatum,
cognomine R O E M E R vel R O M A-
NVM, qui lectione Cursoria explican-
dam delegit l. 8. C. de Nupt. ab Impe-
ratore Gordiano ad quendam, nomine
Romanum, directam. Quis ille Ro-
manus fuerit, non jam solite inquiremus; & Candidatus
noster adeo Suffenus non est, ut genus suum ab eo deriva-
re contendat, sicut hodie multi tale quid conantur, & me-
mini fecisse quendam cognatum meum, qui CASPARIS
NÆ VII, Abavi mei, originem ducit a Nævio illo Romano,
ad quem Ciceronis epistola extant scriptæ. Licet enim
Nævii abavi familia quondam Colonix Agrippinæ fuerit
celebris, & Romani tempore Agrippæ Colonos eo miserint
ad condendam novam urbem, longius tamen petitur ratio,
quod a Colonis illis Romanis etiam venerint Nævii, quo-
rum posteri eorumque nomina ad nostra duraverint tem-
pora. Nec tanta est FINCELII Poëta autoritas, dum lu-
gubri carmine JOHANNEM NÆVIUM, Casparis fratrem
defunctum ita effert:

Hic de Romana veterique propagine cretus
Forte etiam celebres enumeraret avos,
Qvos Latium tenuit, sed post Germanæ recepit
Ausonios tellus fortis Agrippa Tuos.

X 2

Dc.

Deducta ad Rhenum est Romana colonia quando,
Qua vetus huic urbi nomen origo dedit.

Gloria non levis est celebrari gentis honore,

NÆVIUS hoc etiam nomine Magnus erat.

Ut rem dictu incredibilem alii per vadent. Poetarum enim more agit h. e. fingeit Fincelius, & rectius sentit Publicistarum Princeps LIMNÆUS JENENSIS, qui, cum in Præloquio Tomi IV. Juris Publici mentionem Limnæi fortis Alexandri M. militis fecisset, postea subiungit: Propenfiori affectu Limnei illius cives proficor, quod nomine mibi compar vixit. Possem etiam gentilem dicere, si co ambitione tumore laborarem, quo nostratum nonnulli hodie turgent, qui, ubi in veteri Historia, Græca vel Romana, nomen familie sue æquale reperirent, protinus eandem cum illa unam, adeoque Græca vel Romana originis esse contendant. At inanem hanc gloriam, quæ studios quandoque vexat, semper a me procul habui, & fætor lubens, non magis Limneum illum meæ familiae suisse, aut me ipsius esse, quam Limnaea civitas, cuius mentionem facit Livius, mei est census vel meorum unquam fuit. Ab hac vanitate alienus est Candidatus noster, & tantum ob nominis similitudinem, quæ ipsi cum Romano illo intercedit, arrisit ei citata l. 8. C. de Nupt. ut hanc præ aliis expositione dignam, judicaret. Sed & occasione nominis Romanii jam explicabo, quibus moderni Romani a veteribus suis antecessoribus, si doctrinam species matrimoniale, unde lex illa est desumpta, distinguuntur. Non tamen omnia discrimina memorabo, saltim aliqua adducam eaque sequentia (1) olim potestas legislatoria & judicaria in matrimonialibus competebat Imperatoribus & Secularibus, ut vocant, Principibus, ceu videre est e tot Constitutionibus Christianorum Imperatorum, Constantini, Theodosii, Arcadii Honorii & aliorum, in libro V. Codicis Justiniane per aliquot titulos, & alibi passim, ubi de matrimonio tractatur, comparentibus. Postea vero, cum Statutum in Statu formarent Pontifices

ces

33 (1) 56

ces Romanis, potestatem illam circa matrimonium, Secularibus Imperantibus prorsus exclusis, sibi arrogarunt, quam Principes & Republicæ Protestantæ, excussa Papali autoritate, post liminio recuperavere. Et quamvis Gail. Ignatius Schüzius, Cameræ quondam Imperialis Assessor, in *Manuali suo Pacifico* circa finem, de jurisdictione ecclesiastica differens, nostros Germanos Principes Protestantæ commiseratione dignos judicet, dum judice ecclesiastico, controversias ipsorum matrimoniales dirimente, destituuntur, non tamen magis commiserationem merentur, quam summi terrarum Monarchæ, in causis secularibus superiorem inter mortales non recognoscentes. Ut autem (2) Papæ matrimonium suæ potestati & cognitioni vindicarent, in numerum septem Sacramentorum illud retulerunt; quicquid enim Sacrum, Sanctum, religiosum, pium audit, stabilita Papali Monarchia, protinus eximi merebatur Laicorum Imperio, & referri intra clericorum pomaria; hinc juramentum, quod veteres subinde Sacramentum dixerunt, sui fori esse adeo contendebant Clerici Pontificii, ut etiam contractus & alia negotia, cæteroquin ad forum seculare spectantia, si jurejurando firmantur, suæ cognitioni afferere conarentur, & Baldus in l. I. C. de oper. libert. jam suo tempore conquereretur, *Canonistas omnia ad suum imperium & suæ molendina trahere velle*, confer hac de re pluribus differentes Gail. I. obs. 25. Setser. de juram lib. I. c. 25. §. 83. Schüz, in Volum. 2. Juria publ. Ex. VIII. §. XVI. Celebrimus Sabaudia JCTus Anton. Faber, cum in Codice suo lib. I. tit. 1. de Summa Trinit. & Fid. Cathol. ostendere vellet, Protestantæ esse hereticos, notas quasdam hereticorum fuisse exposuit, inter quas primum locum occupat Negatio; Nam meo iudicio, inquit, non parva nota est, quod omnia propemodum negant, affirmant penibil. . . . Quod si hoc faciunt eo consilio, ut nos onerent probatione, nec quicquam ipsi probare teneantur, ne peccanti sunt non modo Theologi, sed etiam JCTi. Nec enim apud Juris nostri sive

autores sive interpres dubitationem res habet, quin actor quis
quis est, probare debeat suam intentionem, etiam que in negando
consistat. Presertim vero, si agat quis ad turbandum eum, qui
sit in pacifica rei, de qua controvertitur, possessione. Varios
postea recenset articulos a Protestantibus negatos, & n. 17.
memorat, quod e Septem Sacramentis insufficientur quinque,
interque ea Matrimonium non agnoscant Sacramenta. Sed ut jam silentio transmittam, quæ de notis hæretico-
rum & speciatim de negatione adferuntur, cum ratio insti-
tuti justam eorum discussionem jam non permittat, pos-
fessio illa, ad quam provocat Faber, non tam antiqua est,
ut volunt videri Pontificii, quod ipsum *Cheznitius* contra
Patres Tridentinos, in Concilio Sessione VIII. can. 1. ana-
thema dicentes illis, qui plura vel pauciora quam septem
statuunt Sacraenta, in Examine Concilii graphicè admou-
dum deduxit & monstravit, demum a Lombardi Magistro
Sententiarum temporibus septem, & non plura nec pau-
ciora, credi copiæ Sacraenta, in prisca vero Ecclesia
septenarium illum numerum prorsus fuisse ignoratum; &
hoc *Bellarminus* Tom. II. Controvers. lib. 2. de Sacram. cap. 25.
sub init. invita sua Minerva fateri cogiturn. Nec Christiani
Imperatores de Matrimonio leges ferentes, id ullibi in Jure
nostro Sacramentum appellant. Præterea (3.) laudatus
Ictus Faber, dum reprehendit in Protestantibus negationes
quasdam, etiam carpit dicto loco nonnullas eorum affir-
mationes, & inter illas n. 10. recenset, quod copula carnalis
cuivis sive mari sive femina sit necessaria, ita ut nemo sine ea vi-
vere possit. Ego vero non putaverim, aliquem Protestan-
tium sanæ mentis hoc unquam affirmasse. Non enim ab-
solute cuivis homini necessarium statuunt matrimonium,
sed ad vitandas pravas libidines præcepti divini, non arbitrii
humani esse putant, ut matrimonium ineatur ab his,
qui dono continentia non sunt instructi. Quamvis enim
multi existiment, mandatum illud divinum: *Gescite & mul-*
tipli-

multiplicamini, saltim ad Adamum Examque, & aliquos eorum posteros spectasse, hodieque multiplicato humano genere exolevisse, rectius tamen afferitur, in vigore suo illud eatenus adhuc mansisse, ut, qui dono continentia se praeditos non sentiunt, matrimonium etiam sibi praeceptum esse credant, ne genus humanum multiplicatum rursus intercidat, si omnes celibati, tanquam sublimiori proposito, inharentes absque matrimonio vivere vellent. Quare Apostolus in epistola priori ad Corinthios cap. 7. v. 5. ubi celibatum valde commendat, nihilominus illis, qui continent non sunt, matrimonium injungit, adjecta ratione: *Quia melius est nubere quam viri.* Deus etiam in fædere antiquo non tantum Clericis minorum dignitatum, sed & ipsi Summo Pontifici, in quo tamen peculiaris externa requirebatur sanctitas, conjugium permisit liberum, saltem ut hic matrimonium initurus virginem, non viduam, nec repudiatam nec viuam duceret, Levit. 21. v. 14. mandavit, unde Aaron, Samuel aliisque religiosissimi Viri, summo functi Sacerdotio, in matrimonio vixerunt, & S. Paulus 1. Tim. 3. v. 2. inter officia Episcopi recensuit, ut una contentus uxore, polygamiam, Judæis in lege Mosis permisam, defugeret. Hoc institutum secuti Christiani & Romani primorum seculorum, prout Summi Theologi Chemnitius in *Examine Concilii Tridentini & Calixtus in Tract. de Conjugio Clericorum* fuisse demonstrarunt, Clericis & Sacerdotibus conjugium non inhibuere, celibatum autem, ad promtius expediendas functiones ecclesiasticas, commendarunt, quod hodierna Græca Christianorum Ecclesia, longe lateque per tot regiones diffusa, & in retinendis majorum traditis tenacissima, sancte observat, & sacerdotibus matrimonium liberum relinquit. In diversum abierte sequentium temporum Romani, dum promiscue Clericis interdixerunt matrimonio, etiam jurejurando circa initium professionis suæ renuntiandum; unde non mirum, quando

do hodie Romæ rerum potiuntur Clerici, & ad eorum mo-
res vitam reliqui componunt, a Romanis nostri temporis
non tam gratum & acceptum haberi matrimonium, nec il-
lud modis omnibus licitis promoveri. Quantus autem
(4.) olim Romæ ejus fuerit favor, e Jure nostro Civili lucu-
lenter apparet, & speciatim constat e Fragmentis Legis Ju-
liae & Papiae, tempore Augusti promulgatae, quæ sustu-
lit impedimenta nuptiarum & liberorum procreando-
rum, qualia erant (a) parentum moratoria frustratio in li-
beris elocandis, & illis injunctum, ut dotem filiabus ad
procurandum nuptias constituerent (b) jusjurandum liber-
tis de nuptiis non contrahendis impositum a Patronis, qui
jure suo cadere debebant, si tale juramentum exigenter
(c) celibatus aut viduitatis conditio à testatore indicta, sed
per Legem citatam Papiam remissa (d) maritorum absen-
tia, & constitutum, ut maritus absens sui commodi causa
solidum e bonis uxoris capere non possit, aliud autem ob-
tinebat, si Reip. causa aberat. Deinde lege Julia & Papia
non tantum cœlibes & orbi pœnis cogebantur ad matrimo-
nium cum aliis ineundum, & civitatem liberis augendam,
sed & parentibus, liberos plures procreantibus, proemia
proponebantur, scilicet ut aliis in honoribus præferrentur,
mulier ter enixa jus Quiritium consequeretur, uxores, quæ
olim in perpetua erant tutela, libertinæ ob quatuor liberos,
& ingenuæ ob tres tutelâ liberarentur, mares ob unicum
filium vel filiam, sed fœminæ trium liberorum matres soli-
dum ex aliorum testamentis caperent, cum antea Lege
Voconia fuisset sancitum, ut ex testamento ultra certum
modum capere non liceret; quæ & alia plura L. Juliae &
Papiae capita, a Jacobo Goshofredo, Criticorum JCtorum Prin-
cipe in *Quatuor Fontibus Juris Civilis* uberiorius exposita satis
ostendunt, quantus apud priscos Romanos matrimonii &
& liberorum procreationis fuerit favor, & hodie Romæ fere
per omnia contrarium obtineat. (5.) Num lupanaria quon-
dam

55(9)55

dam apud Romanos fuerint permissa, I^Cti non conveniunt; plurimi affirmativam tuerunt per l. 27. §. 1. de petit. heredit. l. 22. & 29. C. ad L. Jul. de adult. Tacitus quoque lib. 2. Annal. refert, olim debuisse scorta palam profiteri nomina apud ædiles, credidisse enim veteres, satis esse peccarum adversus impudicas in ipsa professione flagitii conf. Cajac. ad Nov. 14. Rittersbus. ad Nov. part. 12. c. 7. Pufend. de J. N. & G. lib. 6. c. 1. §. 4. Bachov. ad Treutl. vol. 2. diff. 32. §. 3. lit. B. Lauterb. in Different. Juris Civil. & Sax. §. 63. Meier ad Instit. tit. de public. judic. Carpzov. in Crim. qv. 70. n. 11. alii negativam defendunt per l. 40. D. defurt. l. 34. §. 5. de rit. nupt. l. 12. §. 11. mandat. l. 5. de donat. l. 27. C. de inoffic. testam. Novell. 14. inter quos est Maestritius de Justitia LL. Roman. lib. 2. dub. XL. qui argumenta sua summis e Gregor. Tholos. Synt. lib. 10. c. 2. cuius tamen nullam fecit mentionem. Quicquid sit de antiqua Roma, de recentioribus dubio caret, quod lupanaria permisit, & Papa certum exinde ve*ctigal* percepit, vid. Rittersb. ad Nov. part. 12. c. 7. n. 16. Carpz. Crim qv. 70. n. 7. Refert Pontificius Scriptor Thuanus libr. 39. hist. sub init. cum Pius V. in Papam eligeretur, ut non tantum nomine, sed & facto se probaret Pium, quod in meretrices, quam Romæ a multo tempore frequens & publicum meretionium erat, multa severe decreverit, quas & urbe quamprimum excedere, aut nubere, & si non obtemperarent, publice flagella cadi iussit. Cum vero moneretur, inter tot calibes sublatis feminis, majoris vietia, quod Romanis jam olim B. Paulus exprobavit (respicit Thuanus locum ad Rom. 1. v. 27. ubi Apostolus dicit: masculi relatio naturali usu feminæ exarserunt sua libidine alias in aliis masculi in masculis feeda perpetrantes & compensationem, quam oportuit, erroris sui in se recipientes) periculum subesse, ita eas tulit, ut lupanari includerentur, nec, ut prius, libere tam urbem interdiu noctiuvè vagarentur, ratus, pudore utrinque incusso, & illas priori vita renuntiaturas, & viros infamiam veritos ad ea loca non ituros, qua vero in meretricia professione.

morentur, in sterquilino defodi mandavit. Intercessit initio
 urbis Senatus, a Sacro ordine, qui palam non audebat, clam in-
 figatus, hoc decreto boſſitorum pretia vilescere, & ad nibilum
 redigi, libertatem antiquam tolli, nec matronarum pudicitiam
 inter eos calibes integrum & inconcussam aliter servari posse, niſi
 pristina libertas refituar. (6.) Liberi consensum paren-
 tum, in quorum fuit patria potestate, de jure civili requi-
 rere tenentur, ut etiam absque illo nuptiæ dicantur non
 consistere l. 2. D. de rit. nupz. Sed nova Roma per legatos
 suos in Concilio Tridentino Sess. 24. aliud statuit: Sancta
 Synodus anathemate damnat eos, qui falſo affirmant, Matrimo-
 nia a filiis familiæ sine consensu parentum contraria, irrita esse,
 & parentes ea rata vel irrita facere posse. Multi Patres in
 Concilio illo circa hanc rem diffensere, uti Jesuita Cardi-
 nalis Pallavicinus in Historia Concil. Trident. lib. 23. cap. 9. §. 5.
 testatur: Collectis suffragiis Princeps Legatorum elata voce pro-
 nunciavit &c. Decretum de clandestino placuit majori parti
 Patrum, dispuſtum plusquam quinquaginta Patribus, inter quos
 est illustrissimus Cardinalis Simonetta, Sedis Apostolice Legatus,
 Decretum non approbat, se tamen remittens Santissimo Domino
 Nostro (Papz.) Forte Patres Tridentini hanc ob causam,
 quoniam vota non aderant consentientia, de contractis
 matrimonii, non de sponsalibus, de quibus tamen potis-
 sum erat quæſtio, canonem formarunt, sed si praxi
 Ecclesiæ Romanæ respiciamus, etiam ad sponsalia extendi-
 tur, quo casu Protestantes jure meritoque contradicunt.
 (7.) Veteres Romani, cum gentiles tum Christiani, legibus
 suis prohibuerunt conjugium in tertio gradu inter consan-
 guineos & affines, recentiores autem in octavo, computan-
 do gradus juxta Jus Civile, sed juxta jus canonicum in quar-
 to lineæ collateralis & æqualis & inæqualis; ratio redditur in
 c. 8. X. de consanguinit. & affin. quia quatuor sunt humores in cor-
 pore, qui constant ex quatuor elementis; sed alia eaque prægnan-
 tor subest, quam Anton. de Dominis de Rep. Eccles. lib. 5. c. 11.

n.78.

n. 78. explicat: Non alia de causa Romani Pontifices usque ad quartum gradum extenderunt prohibitions, nisi ut frequentiores essent dispensationes, ex quibus immensa pecunia in eam Curiam confluat, & assignata sunt in Cancellaria pro singulis remotoribus gradibus pretia; nam propinquiores compositiones facere debent sane ingentes, ubi presertim coniuges vel divites sunt, vel magnates vel Principes. Hæc ratio haud dubie præcipua fuit, cur Matrimonium ad Forum Ecclesiasticum traheretur. Nam cum Sixtus V. Papa, qui per quinque tantum annos regnavit, & pra reliquis Pontificibus sumtu maximos fecit in opera publica, adhuc hodie Romæ conspicua, moribundus s. millions vel 50. auri tonnas reliquerit, nemo non intelligit, pecuniam, e dispensationibus matrimonialibus redactam, non minimam illius thesauri summam confecisse. Sed quod vetus Romanorum prohibitio graduum longe sit præferenda recentiori, vel ex eo apparet, quoniam illa per omnia fere convenit cum jure divino Levit. c. 18. & 20. (8) Olim ex pluribus causis permisum erat divorzium quoad vinculum, etiam regnantibus Christianis Imperatoribus l. 8. C. de repud. Nov. 22. c. 15. Nov. 117. c. 8. 9. & 14. sed hodie Romæ ne quidem adulterium pro justa divorzii causa habetur, licet Christus Salvator eam admittat Matthi 19. v. 9. Dico autem vobis, quicunque dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, & aliam duxerit, mechatur; ex quo firmissime concluditur, si adeat causa fornicationis, & dicitur alia, non committi adulterium, alias frustranea foret exceptio. Hanc consequentiam ut infringat Bellarminus, admodum desudat lib. 1. Contrav. de Marriag. Sacr. c. 16. & plures in medium profert responsiones, nervum minime incidentes. Sic vidimus discrimina nonnulla veterum & modernorum Romanorum, quod matrimonium eoque spectantia capita attinet; & ex his, quæ levi tantum brachio attingimus, nec pro ratione instituti fusius persequi licuit, haud dubie satis colligimus, veterum sententias in pleris-

MS(12)55

que esse præferendas, nec male Protestantes a quibusdam
recentiorum placitis recessisse.

Sed nunc quoque de Candidato Nostro, morum sva-
vitatem, & Juris bonarumque literarum notitia commen-
datissimo

DN. JOHANNE JACOBO
Römer/
ARGENTORATENSI,

pro more in Facultate nostra & alibi per Germaniam
passim recepto, verba sunt facienda. Natus is est in Ce-
leberrimo illo scientiarum & liberarum Artium Em-
porio, Civitate quondam Imperiali Libera, nunc Re-
gia Gallica Argentoratensi, Parentibus honestissimis,
Patre JOHANNE Römer/ Aurifabro viro in-
tegerrimo, ante octo annos fatis pie functo, & Matre
MAGDALENA Schollin/ foemina Pietate,
omnique sui sexus virtute ornatissima, a quibus
in Scholam Germanicam, ad rectius discendas cum
Christianæ fidei rudimentis literas germanicas, pri-
mum missus, postea latinas patrias & gymnasium fre-
quentavit. Sic Classes transiit inferiores, subinde do-
mesticorum præceptorum manuductione usus, donec
primam eamque supremam ingredetur, ex quâ proba-
tis studiorum profectibus, & habita de Monarchia Græ-
corum oratione ad Academicas Lectiones cum elogio
dimissus, ab initio in Stylo & Historia Excellentissimum
Eloquentiae & Historiarum Professorem DN. JOH.
CHRI-

BS(13)5e

CHRISTOPHORUM ARTOPOEUM, in Metaphysicis & Logicis disciplinis harum egregium Professorem, nunc Theologiae munere conspicuum DN. D. BERNHARDUM WAGNERUM, in Philosophia Practica celeberrimum Virum DN. D. JOH. JOACHIMUM ZENTGRAVIVM, hodie Theologum venerandum, quod Praeside Disputationem publicam de Imperio Parentum in liberos habuit, in Physicis insignem Medicum DN. D. VALENTINUM SCHEIDIUM, in Mathematicis accuratum horum Professorem Dn. JULIUM REICHELTUM docentes indeffeso studio audivit. Dein ad Jurium culturam progressus Collegia frequentavit Illustris Viri FRIDERICI SCHRA-GII, Antecessoris tunc Argentoratensis, nunc Cameræ Imperialis Assessoris splendidissimi, Introductiones suas in Institutiones & Pandectas exquisitiori discursu illustrantis, & assidua per examina repetitione inculcantis, cuius viri magna in se merita Candidatus noster multum deprædicat. Patronos quoque & Praeceptores veneratur Antecessores patriæ gravissimos Dn. D. ULRICUM MARBACHIUM & Dn. D. JOH. HENRICUM FELZIUM, dum illius lectionibus super Institutiones & Examen Juris Feudalis Stryckianum, hujus vero Discursibus, Usu Politices in Juris Studio monstrantibus, diligens auditor interfuit. Nec reticendam duxit industriam singularem Doctissimi Jurium Licentiati Dn. THEODORI BALTHASARIS NACKII, Consanguinei & Sodalis mei a triuio Scholæ carissimi, qui, nactus docendi facultatem, Ludvelli Exercitationes Justinianas, pariterque titulos

X)(3

ff. de

ff. de V. S. & R. J. nervose exposuit. Potissimum vero sibi
 gratulatur de Collegiis Cognati mei, Summi JCti, Dn.
JOHANNIS SCHILTERI, Consiliarii & Ante-
 cessoris Argentoratensis eminentissimi, super Institutio-
 nes suas Juris Civilis, Feudalis, Canonici & Publici ha-
 bitis. Præterea Collegiis Disputatoriis Praeside Dn. D.
SCHRAGIO in Codicem, Dn. D. MARBACHIO
 in Pandectas, & Dn. D. FELZIO in Institutiones
 nomen dedit, ut hoc exercitio ad futuram praxin se me-
 lius præpararet; Et postquam animum incessit cupido,
 exteris visendi regiones, Lausannam indeque Gene-
 vam excurrit; non diu tamen ibi substitut, cum in illis
 Academiis non inveniret, quod Jurium Cultoribus sali-
 vam moveret. Igitur remeans inclytam Eberhardi-
 nam Tubingensem invisit, liberaliter a famigeratissimo
 JCto Dn. D. MICHAEL GRASSIO exceptus;
 at mutato iterum proposito ad Salanam nostram se con-
 tulit, hospitio & convictu Excellentissimi Antecesso-
 ris & Consiliarii Saxo-Isenacensis Aulici & Consisto-
 rialis Dn. D. JOH. BERNHARDI FRISII, Hære-
 ditarii in Pösen/ usus, cuius informationi, haud neglectis
 reliquorum & Professorum & Doctorum juris collegis,
 dum hic moratus, potissimum se addixit, & ex ejus ore
 pleniorē juris civilis scientiam hausit, æternū propterea
 eidem se devinctum professus. Stimulos quoque a Patrono
 & Præceptore illo accepit, ut ad summos in Jure adspiraret
 honores; quare exposito Facultati nostræ desiderio confve-
 tis ipsum subjecimus examinibus, in quibus textus proposi-
 tos docte resolvendo, & ad quæstiones occurrentes promte
 respondendo suffragiis omnium meruit, ut ad ulteriora

Spe-

¶(15)¶

Specimina Inauguralia admitteretur. Quod igitur Deus
Ter Opt. Max. felix faustumque esse jubeat, produce-
mus eum crastina luce in cathedram, ubi lectione Cur-
soria supra citata suam Auditorio probabit eruditionem.
Cui actui ut Magnificus Academia Rector, Patroni, Col-
legæ, Fautores & Amici, omnium Ordinum honoratissi-
mi, frequentes interesse velint, communi Facultatis pa-

riter atque Candidati nomine decenter rogan-

tur. P. P. Jenæ d. XI. Junii

MDCCII.



Specieis personis suorumque. God felix Dm
Jesu Christi regnus eius impetrat. Quod
mea causa et tua pars intercedit. Impetrat
tibi bona omnia. Ad quod oportet ut
cum aliis in Hispaniam Accedas Regumque
Iesu Christi auctoritate. Quibus postea
in illius universo Aperi, communem Pocula
specieis personis suorumque. Deinde
ad te, & ad X. Iunii

MDCCL




Jena, Diss., 1702

VD -18

f



56.



GVIL. I.
BRV

PANDECT. P.

CVRIÆ
FACVLTATI
NAT'
COLLEGII

DISCR

QVIBVS MO
ROMANIS IN
MONIVN

DI

PROGRAM

LITERI



12

II

CI

S,
VS

E.

me